

(*quae rationalis est anima hominis*) non fuisse in anima Christi: sed pro hac ipsum Verbum in ea fuisse dixerunt. De ipsa verò eius carne sic à reëta fide dissensisse perhibentur, vt dicerent carnem illam & Verbum vnius eiusdemque substantiae, contentiosissimè asseuerantes Verbum carnem factum esse, hoc est, Verbi aliquid in carnem fuisse conuersum atque mutatum: non autem carnem de Maria carne susceptam.

I Apollinaris instituit) Apollinaris & Apollinarius dicitur. Apollinarii autem fuerunt multi. Ac quidem ante huius hæreseos tempora quidam vir pius Hierapoleos Phrygiæ ciuitatis Episcopus, qui contra Marcionitas scripsit, vt Euseb. tradit lib. 5. cap. 16. Theodoret. lib. 3. Hæreticar. fabul. Alius post hunc nostrum qui tempore Iustiniani secundi vixit, & in Alexandria episcopatu claruit, de quo Euagr. lib. 5. cap. 16. Alius huius nostri hæresiarchæ seculo vir insignis & Laodicens Episcopus, qui æqualis Basilio Magno, & Gregorio Nazianzeno, (est autem Nazianze portus Cappadociæ) fortiter pro fide Nicena scriptis suis depugnauit, quemadmodum & Suidas & Philostorgius meminerunt. Hic autem noster à quo denominata est Apollinaristarum secta, duplex fuit, pater, & filius. Pater Alexandrinus natione & patria, qui docendi gratia in Syriam profectus, Beryti primùm, post Laodiceæ (quæ est ad Libanum, & Laodicea libera dicitur à Plinio libro 5. capite 20.) Grammaticam professus est. Vbi inito coniugio filium sibi cognominem sustulit, qui Rhetoricam artem ætatis accessione felicissimè docuit. Vterque autem ad Ecclesiasticum ordinem Laodiceæ vocatus est,